



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 176. Et respondens universus populus dixit: sanguis eius super nos &
super filios nostros. v. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

sed ò utinam omnia corda hominũ converterentur ad te & desiderarent totis visceribus iustitiam tuam magna certe felicitas esset, nil velle aut cupere præter te & iustitiam tuam, sed & hoc non fieri universim tolerabile esset, at in peccatis ipsius excusationes Pilatinis similes nos indies pangere & compingere, hoc unum est oculis tuis indignissimum, nobis vero miserimum. O Deus, succurre,

§. 176. *Et respondens universus populus dixit: sanguis eius super nos & super filios nostros. v. 25.*

Vix Pilatus innocentiam Christi, & iustitiam eius coram tribunali exposuerat, quin statim interromperetur per populi universi impetuoso clamore, quod potius mallet pati, dissipari, annihilari, quam ut Iesus non traderetur morti, per verba sanguis eius super nos & super filios nostros. quasi dicerent: Culpa æque ac vindicta sanguinis Iesu, à te, ò Pilate, effundendi, quæ tu vereris, Deo vindice à te transferantur in nos, & filios nostros, ut si quæ hic sit culpa, illam nos cum posteris luamus, nullam enim agnoscimus, ac proinde nullam timemus vindictam, quare illam in nos audacter accessimus et si nos non sumus sufficientes numero vel viribus, ad portanda ista, ecce obligamur & assumimus posteros nostros omnes nobiscum. O miser! quid precamini vobis & filiis vestris? an ignoratis potentiam sanguinis huius & pretium? sanguis ille super pretiosa quæque mundi pretiosior est, una gutta exsuperat omnes thesauros cæli & terræ in pretio: potentia ignoratis? fortior est omni spiritu, vivit & vivet in æternũ: sicut est infinitus in pretio, ita infinitus est in potentia & fortitudine, neq; eius potentia neq; virtus minuetur unquam, hic quidẽ effunderetur in vindictam malorũ, præmium vero honorũ. Quid igitur appetitis portare eius fundendi vindictam, & non magis salutem, non est missus ut iudicet mundum, sed ut salvetur per ipsum. vere populus stultus & insipiens es tu, nescis, quid peras, aliter post 42. annos loqueris, cum Vespasianus aderit cum Tito vindex, & uti prædixit Daniel c. 9. usque ad consummationem & finem mundi perseverabit desolatio tua.

Deus fortis & potens, & cuius misericordiarum non est numerus, sit obsecro hic sanguis tuus tam pretiosus aliter super me, quam super Iudæos. nempe super me per honorem & adorationem in calice, & magis in me per sumptionem seu communionem in protectionem, defensionem, & salutem, in solutionem debitorum infinitorum apud æternum patrem tuum.

§. 177. *Tunc dimisit illu Barabam. v. 26.*

Post longam disceptationem pro & contra Christum habitam, victus à populo, & deceptus à seipso Pilatus maxime, quod orationem Pilati iniustitiam